

praedictas quasdam missae partes ob cantorum deficientiam, quamvis organum non pulsetur, sicuti fieri solet in pluribus urbis Ecclesiis. Hisce decretis et communi praxi inhaerens allato dubio sic respondere putarem: Tractus integre canendus cum organum non pulsatur et adest sufficiens numerus cantorum.“

S. C. resp.: *Tractum integre canendum, cum organum non pulsatur.*

Die 7. Septembris 1861.

(Anal. J. P. 1863 pag. 2249.)

Vd.: *Organum; Missa* (abbreviat.)

### TRANSFIGURATIO D. N. J. CHR.

Dies octava Dedicationis Ecclesiae Cathed. Brixiae excludit festum Transfigurationis Domini et cum haec Octava celebretur in sola Civitate plerumque fit, ut Officium translatum pro Dioecesi in diem, qua transfiguratio pro Civitate assignata est, gignat per plures dies dissimile Officium inter Civitatem et Dioecesim. Ut igitur in Divinis persolvendis similis deformitas non sit ac simul Transfiguratio ob solemnitatem Mysteriorum sua die celebretur, S. R. C. precibus humilibus gratia petitur elevationis hujus Officii a ritu dupl. maj. ad dupl. II. cl. pro tota Brixiana Ecclesia sicque in Civitate et ipsa Cathedrali celebrabitur die propria cum commemoratione diei octavae in utrisque Vesperis et Laudibus.

S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative.“

Et ita declaravit et servari mandavit. N. 5400. Die 20. Sept. 1804.

*Fest. Transfig. D. potest esse Titulus Ecclesiae, vd.: Titularis Eccl. (Mutat.) De institut. hujus festi, vd.: Bullam Callisti PP. III. die 6. Augusti*

1457 in Bull. r. t. V. p. 133. Ed Aug. Taur.

### TRANSITUS.

#### 1) Per aliam Parochiam.

Vd.: *Processio* (transitus); *Process. funebr.* (Via per aliam paroch.)

#### 2) Per Ecclesiam in aedes privatas.

Vd.: *Fenestra; Orator priv. et publ.; Seminarium* (habitacul.)

Nemo potest habere fenestram, per quam prospectus, nec portam, per quam transitus habeatur in Ecclesiam, sine indulto apostolico, ut pluries declaravit S. Congr. Episcoporum. et Regul. et signanter in Casertana 8. Junii 1646, in Cusentina 14. Decbr. 1646, in Hortan. 11. Junii 1655, in Alexanen. 14. Novembris 1659. Immo injungitur Episcopo, ut cryptas et aditus subterraneos a domibus privatorum ad Ecclesias et loca immunita claudere faciat; S. Congr. Immun. in Aquilana 9. Martii 1632.

Non debet Ordinarius permittere, ut ab Ecclesiis sit ingressus vel prospectus in privatas aedes, neque super Ecclesias esse cameras vel loca ad habitandum absque licentia Sedis apostolicae, alias debent interdici, donec hae servitutes removeantur, ut saepe decrevit eadem Sacra Congregatio Episcoporum praesertim in Hierarcen. 26. Julii 1613, in Melphiten. 2. Octobris 1626, in Neapolitana 13. Aprilis 1646 et in Hortanen. 11. Junii 1655. Nisi tamen in limine foundationis Ecclesiae Fundator seu aliquis insignis Benefactor sibi reservaverit jus habendi prospectum seu ingressum in ipsam, quia in tali casu, ne laici a foundationibus retrahantur, possit Episcopus leges et conditiones etiam juri communi contrarias admittere, juxta communem DD. sententiam

teste *Ricc.* decis. Cur. Archiep. Neapol. 29. per tot. par. 1., *Ciarlin.* contr. 53. n. 48., *Lotter.* de re Benef. l. 1. qu. 32. n. 3., *Tondut.* q. Benef. t. 1. p. 1. c. 5. n. 5., posset Ecclesiam cum hac lege fundatam valide huic servituti subicere; *Lotter.* dict. qu. 32. per tot. et praesertim n. 15. et 16., *Monac.* p. 1. tit. 6. form. 10. num. 18.

### TRANSLATIO.

#### 1) Archiepiscopi in eccles. episcopalem.

Archiepiscopus translatus ad *episcop.* Ecclesiam potest retinere nomen seu titulum Archiepiscopi, non vero crucem neque pallium. S. R. C. 16. Octobris 1604.

Vd.: *Transl. Episcopi.*

#### 2) Corporum Sanctorum.

Cf.: *S. Joann. Bapt.*

In causa Lucana translationis Corporum ss. Senisii, Romae et Aversani existentium in Cathedrali, ad quos pertinet delatio dictorum Corp. SS. in Processione faciendae, an ad Canonicos Cath. an Colleg. Ecclesiae, in qua recordi debent? S. C. resp.:

Pro hac vice tantum (in actu transl.) fieri debere solemnem processionem et sacra Corpora esse deferenda per Canonicos Cathedralis usque ad Ecclesiam Collegiatam s. Petri, in cujus atrio ante fores ejusdem Collegiatae esse consignanda Priori et Canonicis Collegiatae per eosdemmet Canonicos Cathedralis. Canonici Colleg. continuando processionem deferant sacra corpora ad locum, ubi erunt collocanda, non obstante decreto edito 20. Aug. 1622.

Et ob majorem venerationem et augendam populi devotionem erga signora Episcopum missam solemnem canere in Collegiata debere cum as-

sistentia tamen Canonicorum Cathedralis. N. 871 die 20. Julii 1630.

#### 3) S. Domus Lauret.

##### a) Festum introducend.

Picena.

Provincia Marchiae, accedente etiam commendatione Emmi Cardinalis Romae Episcopi Lauretani necnon supplicatione Archiepiscopi Firmani supplicavit pro licentia celebrandi festum Translationis sanctae Domus, cum officio et missa ad instar ut recitatur in ipsa Domo Lauretana. Et Sacra Congregatio censuit concedendum, si Sanctissimo placuerit. Sanctissimus annuit. Die 27. Novembris 1632.

(Anal. J. P. 1863 p. 247.)

Picena.

Regularibus omnibus provinciae Marchiae cupientibus se conformare cum clero saeculari circa festum Translationis domus Lauretanae in recitando divino officio illo die, Sacra Congregatio concessit: praedictam diem celebrari posse per regulares provinciae Marchiae cum officio et missa eodem modo, quo fuit concessum saecularibus, facto verbo cum Sanctissimo. Die 19. Novembris 1633.

(Ibid. pag. 256.)

##### b) Officium.

*Ordinis Minorum.*

*S. Francisci.*

Quum in Officio Translationis Almae Domus Lauretanae pro editionum Brevarii diversitate immutati reperiantur versiculi Nocturnorum, R. P. Vicarius Provincialis Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum Provinciae Cataloniae S. R. C. certam sequendam regulam rogavit. Et S. eadem C.

ad Quirinale hodierna diei coadunata in Ordinariis Comitibus ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „Versus Nocturnorum variandi sunt juxta rubricas et dicendi juxta Ordinem Resp. Horarum Minorum.“ Num. 3762. Die 8. Augusti 1835.

Benedictus XIII. benigne concessit ut in toto statu eccles. ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, festum Transl. s. domus Lauret. die 10. Decbr. cum Off. et Missa sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725, 25. Sept. 1736.

#### Picena.

Cum S. Rituum Congregatio, ad humillimas Provinciae Picenae preces, accedentibus piis Emmorum et Rmorum DD. Cardinalium Pallavicini et Cincii commendationibus, sub die 4. Aprilis proxime praeteriti, referente Emmo Ottobono, officium proprium cum missa juxta modum ab Emmis Cardinalibus Colloredo et Ottobono praescribendum in die festo translationis Almae Domus Beatae Mariae Virginis recitandum in tota provincia Picena benigne concesserit, iidem Emmi Domini, virtute facultatum ipsis concessarum ab eadem S. Rituum Congregatione, praesens officium una cum missa eo modo et forma, quo scriptum et exoratum reperitur, praescripserunt ac in universa Picena provincia recitari posse censuerunt, si SSmo D. N. videbitur. Die 2. Septembris 1699.

(Anal. J. P. 1865 p. 1385. num. 2699.)

*Ad dub.:* Nostrae (Congregationis SS. Redemptoris) Ecclesiae Manterrensi adjacet Capella ad Normam Lauretanae aedificata ob eximiam populi devotionem celebris, in quam aditus ex Ecclesia patet et in qua

quotidie plures aut certe una missa a Nostris legitur; quaeritur: num festum Translationis almae Domus Lauretanae qua dupl. 1. cl. celebrandum?

S. C. resp.: Negative. N. 4842 ad 10. die 1. Septembris 1838.

#### 4) Episcopi.

Vd.: *Consecratio Episcopi* (annivers. dies; decr. n. 4119.)

##### a) Cujus auctoritate?

Translatio Episcopi de una in aliam Ecclesiam sola auctoritate Papae fieri potest; sic expresse habetur in cap.: *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1., cap.: *Cum ex illo* 1., cap.: *Inter corporalia* 2., cap.: *Licet in tantum* 4. de translatione Episcopi. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua Ecclesia ad aliam carere debet utraque; cap.: *Quanto* 3. de translatione Episcopi. Et hoc procedit sive Episcopus fuerit jam consecratus sive solummodo electus et confirmatus; cap.: *Inter corporalia* 2. et c.: *Licet in tantum* 4. de translatione Episcopi. Metropolitanus aut Patriarcha, si Episcopum sine mandato Papae transferret, a confirmatione esset suspensus, textu expresso in cap.: *Cum ex illo* 1. de translatione Episcopi.

##### b) Causa.

*Clemens II. Servus Servorum Dei dilecto in Christo fratri Joanni Amodo Salernitano Archiepiscopo perpetuum in Domino salutem.*

Quoties ita contingit, ut exigente necessitate et maxima utilitate transmutandus est quisquam Episcopus de propria sede ad aliam, diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major sedes assumitur. Te vero, frater carissime,

quem unanimitas cleri et populi Salernitanae Ecclesiae una cum gloriosissimo principe Guaimario de Sede Pestana accepit et in suum Pontificem elegit, discussimus, ne tuae ambitionis causa et non majoris utilitatis necessitate electus fuisses aut forte per simoniacam haeresim.

Quod ita ab omnibus est abnegatum, ut nullius audiretur ore prolatum. Siquidem Salerni manentes et hoc ab omnibus perquirentes, cum te audiremus ab omnibus laudari et ab omnibus videremus amari, Dominum benediximus, qui tantam concordiam in tanta hominum diversitate super te potuit efficere, ut nullus videretur discrepare. Etenim circa te idem amor in omnibus, eadem intentio, commune omnibus desiderium. Quapropter annuentes petitioni votoque eorum omnium et maxime praedicti gloriosi principis Guaimarii, te frater, sicut et de sede propria ad suam transtulerunt, poscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuae avaritiae id affectante, apostolica assentione per hoc nostrae auctoritatis privilegium incardinamus et intronizamus eidem Salernitanae Sedi, in qua fungaris Archiepiscopi decore et honore. Nam in te nobis complacuit, quidquid de te fama dispergit, videlicet sanctitas, castitas, benignitas et omnia, quae Deo placabilia sunt.

Die 18. Februarii 1046.

(Bull. r. t. I. pag. 576. Ed. Aug. Taur. 1857.)

*Innocentius II., Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Rolando Grossetano Episcopo ejusdemque successoribus canonice substituendis in perpetuum.*

Sacrosancta romana Ecclesia, caput et magistra omnium Ecclesiarum est

ab ipso salvatore nostro Jesu Christo divinitus constituta, quae profecto, sicut speciali privilegio caelitus sibi collato potestatem habet novos episcopatus exigente necessitate statuere, ita nihilominus duos potest in unum conjungere, unum in duos dividere, atque episcopales sedes, qualibet tyrannica feritate oppressionem vel violentiam patientes, ad alia, quae tutiora sunt, loca transferre; cum utique b. Augustinus, egregius s. Ecclesiae doctor et rector, certis ex causis id fieri annuit, videlicet aut pro persecutorum feritate aut locorum difficultate aut malorum societate, et praedecessores nostri, qui diversis fuere aetatibus, eandem translationem ad alia loca munitiora unius ejusdemque dioeceseos saepenumero fieri permiserunt. Hoc nimirum dispensationis intuitu, ven. frater Rollande Episcopo, quoniam Rossellana Ecclesia multorum praedonum in circuitu habitantium stimulis et infestationibus agitatur; et populus ejusdem loci ad magnam desolationem atque paucitatem, peccatis exigentibus, est reductus, communicato fratrum nostrorum consilio dignitatem episcopalis sedis in eadem urbe hactenus habitam in Grossetanam civitatem apostolica auctoritate transferimus, atque ut idem locus de caetero episcopalis apicis culmine decoretur praesentis privilegii sanctione decernimus.

Die 9. Aprilis 1138.

(Bull. r. t. II. p. 247. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Vd.: *Transl. Ep.* (Episc., utrum invitus etc.)

Causae justae transferendi Episcopum generatim sunt duae, scilicet: *Necessitas et utilitas Ecclesiae*; cap.: *Mutationes* 43. caus. 7. quaest. 1., ibi: „Mutationes Episcoporum scitote

communi utilitate atque necessitate fieri licere; cap.: *Scias frater* 35. caus. et quaest. eadem, ibi: Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas vel necessitas persuaserit; cap.: *Quanto*, de translatione Episcopi, ibi: Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata. Hinc translatio facta in favorem solius translati et maxime propter ejus ambitionem aut avaritiam improbat expresse a sacris Canonibus, cit. cap.: *Mutationes* 35. caus. 7. quaest. 1. ibi: Sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione non ambita nec propria voluntate; citato cap.: *Scias frater*, ibi: Non avaritiae causa aut dominationis aut propriae voluntatis vel delectationis suae, cap.: *Episcopus* 37. caus. 7. quaest. 1. ibi: Episcopus enim transiens ad aliam Ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere; cap.: *Sicut vir* 11. et cap.: *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1. et expresse *Fagnan.* l. III. decret. in cap.: *Quarto* 3. de translatione Episcop. n. 94. et 109.

c) Celebratio diei translationis.

Vd. t. III. pars I. pag. 703. n. 45. etc. *Transl. Ep.* (missa anniv.)

d) Episcopus, utrum invitus possit transferri?

Vd.: *Transl. Ep.* (causae).

Episcopus electus et confirmatus sed nondum consecratus non potest transferri invitus ad alium Episcopatum; sic *Hostiensis* in cap. final. de postulat. Praelatorum n. 1. vers.: Et hoc intelligas; *Joann. Andr.* ibidem n. 2. vers.: Quod intelligat de voluntarie consecrato, *Abbas* ibid. n. 11. vers. Et hoc verum, *Fagnan.* in cap.: *Quanto* 3. de transl. Episcopor.

num. 12. et alias passim. Et ratio est, quia nemo ab initio cogitur episcopari seu nemo potest invitus consecrari, cap.: *Innotuit* 20. et cap.: *Cum inter Canonicos* 21. de election. Unde satis est, quod Episcopus et nondum consecratus, dum transferri recusat, omnino cedat Dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in Episcopum, ut in cap.: *Quoniam* 1. dist. 1000., et cap.: *Inter Corporalia* 2. §.: *Sed neque*, de translation. Episcop., et Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. de reformat., ubi statuitur, quod Episcopus confirmatus pro jure sit privatus sua Ecclesia, si intra sex menses munus consecrationis recipere neglexerit, quod satis indicat esse in sub libertate velle consecrari vel non, et idem docet s. Thomas in 4. dist. 25. qu. 2. art. 1. ubi dicit, ad Episcopatum, ubi in corpus Christi mysticum accipitur potestas, requiritur actum suscipientis curam pastorem. Tum quia character sacramentalis, ibi: „Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obstantem.“

*Episcopus consecratus ex rationabili et justa causa potest a Papa transferri invitus de una in aliam Ecclesiam*; cap.: *Scias frater* 35. caus. 7. qu. 1. ubi Papa Pelagius sic scribit Benigno Archiepiscopo: „Scias, frater dilectissime, aliud causam necessitatis et utilitatis, aliud praesumptionis ac propriae voluntatis: non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non avaritiae causa aut dominationis aut propriae voluntatis sed delectationis suae migrat de civitate ad civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis, mutatur: nam plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati praefenda est; aliud est enim mutare et aliud mutari; nam aliud est sponte transire, aliud est

coacte aut necessitate venire, unde non isti mutant civitatem sed mutantur, quia non sponte sed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit.“ Et sic expresse tenet Glossa in cap.: *Omnis qui gemebat* 7. q. 1. verb.: Coacte, ubi dicit, Papam posse absolute Episcopum cogere, ut transeat de una ad aliam Ecclesiam; argum. cap.: *Per principalem* 9. q. 3. Idem tenet Ugo et post eum Turrecremata in cap.: *Scias frater*, vers.: *Surgit hic quaestio*, ubi formaliter dicit, Papam ex toto vel simpliciter ter absolute posse cogere Episcopum, ut ad alium locum transeat et abrenunciet primo; *Chalderin.* Consil. 56. circa finem num. 4. vers.: *Fateor* quod est primum in tit. de translation. Praelator., *Baldus* in leg. rescripta num. 8. Cod. De precibus Imperat. offerend. vers.: *Item omnia beneficia, Abbas* in cap. ult. de postulat. Praelat. num. 13. et ibi *Hostiensis* num. 1., *Joan. Andreas* num. 2., *Rhedoan.* de simonia part. 2. cap. 12. n. 6., *Alexander* cons. 74. num. 29. lib. 4., *Decius* consil. 123. num. 4., *Cephal.* cons. 235. num. 2., *Alciat.* de praesumpt. regul. 3. praesumpt. 8. num. 3., *Barbat.* in tract. de praestant. Card. in part. 1. sub num. 14. vers.: *Et ideo, Cined.* Canonice q. 22. sub. num. 3. vers.: Et respectu Papae; et est communis opinio, prout testantur et tenent Praepositus in cap.: *Omnis*, qui gemebat num. 1., *Roman. consil.* 345. num. 3. et seq., *Barbos.* lib. 1. juris eccles. univers. cap. 19. num. 34., *Flamin. Paris.* de resignat. benefic. lib. 3. quaest. 17. num. 14.

Et ratio est, quia licet ab initio nemo possit cogi invitus episcopari seu consecrari in Episcopum, ut dic-

tum est supra sub num. 51. ex cap.: *Innotuit* 20. et cap.: *Cum inter Canonicos* 21. de election., tamen ex quo semel consensit, potest per Papam de una ad aliam Ecclesiam etiam invitus transferri; caput.: *Scias Frater* 35. caus. 7. quaest. 1. Una enim est Ecclesia universalis per totum orbem terrarum diffusa, cap.: *Loquitur* 18. caus. 24. qu. 1., adeoque qui semel consensit in hac Ecclesia universali episcopari, non potest amplius resistere Papae ipsum transferenti ex rationabili et justa causa de una Ecclesia particulari ad aliam, siquidem hic solummodo mutatur locus, non autem Dignitas episcopalis respectu Ecclesiae universalis, cit. cap.: *Scias frater*, ibi: „Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiae causa aut dominationis aut propriae voluntatis vel delectationis suae migrat de civitate in civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis mutare mutatur; tum quia quantum ad hoc Episcopus comparatur Monacho, qui superiori transferenti non potest resistere, cum velle aut nolle non habeat; cap.: *Nolo*, et cap.: *Non dicatis* 12. qu. 1.; cap.: *Religiosus* de testamentis in 6., et imputandum est illi, quod a principio consenserit se ita indissolubiter alligari; *arg. leg. Sicut cod. de action. et obligat.*; tum etiam quia Papa in beneficialibus habet plenariam potestatem disponendi; cap.: *Licet* 2. de praebend. in 6. et Clem. 1. §. fin.: *Ut lite pendente*, ubi dicitur, quod ad Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum plena et libera dispositio spectat, ex sua potestate potest Episcopum invitum ex rationabili et justa causa transferre de una ad aliam Ecclesiam, alioquin ipsi quoad hos non competeret plena dispositio.

Non pauci tamen magni nominis Doctores tenent, quod Episcopus nolens

consentire translationi per Papam factae, possit quidem auctoritate papali a vinculo prioris Ecclesiae absolvi, idque tum in poenam suae obstinationis et inobedientiae, arg. cap.: *Placuit* dist. 74. tum ob causam communis utilitatis vel necessitatis; non tamen possit omnino invitus et coactus alteri alligari seu ad aliam transferri; ita expresse Glossa in cap.: *Episcopus* de loco 7. quaest. 1.; *Joan. Andr.* in cap.: Quod ob gratiam n. 1. in fin. de regul. juris in 6. dicens, quod Papa possit transferre Episcopum invitum, saltem ut careat prima Ecclesia, *Sannig.* lib. 1. decretal. cap. 3. num. 2. asserens, quod si translatus nollet consentire, nullum sequeretur conjugium spirituale inter ipsum et novam Ecclesiam; sic etiam *Reiffenstuel* ibidem num. 30. et 32., late *Fagnan.* in cit. cap.: *Quanto* 3. de translatione Episcopi num. 101. et sequent. Et ratio sua est, quia Episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur; arg. cap.: *Sicut vir* 11., et cap.: *Sicut alterius* 39. caus. 7. quaest. 1. cap.: *Inter corporalia* 2., et cap.: *Licet in tantum* 4. de translatione Episcopi. Ad validitatem autem spiritualis conjugii, sicut et carnalis, necessarius est consensus contrahentium, cap.: *Cum inter Canonicos* 21. de election. ibi: „Ut per mutum consensum eligentis et electi quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum; cap.: *Locum* cap.: *Cum apud* et cap.: *Tuae*, de sponsalibus, leg. *Nuptias* ff. de rdgul. juris“; adeoque talis consensus etiam requiritur ex parte Episcopi translati et consequenter omnino invitus nequit transferri ad aliam Ecclesiam, ut inter ipsum et Ecclesiam censeatur ortum vinculum conjugii spiritualis.

e) A minore ad majorem Ecclesiam fit.

Translatio Episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam; cap.: *Cum ex illo* 1. de transl. Episcopi, ubi Innocens III. sic scribit Patriarchae Antiocheno: „Miramur, quod... novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, et magnum quodammodo minorasti episcopare Archiepiscopum, immo potius de archiepiscopare praesumens“; et arg. cap.: *Legimus* distin. 93. ibi: „Qui provehitur, de minore ad majus provehitur“; et cap.: *Licet in tantum* 4. de translation. Episcopi: „Quod si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere; et ibi Glossa 2. et *Cutrius*, *Imola* et *Fagnan.* in cit. cap. *Cum ex illo* num. 9. Nam gradatim conferuntur honores; leg. Ut gradatim ff. de muner. et honor.“ Dictum fuit notanter *regulariter*, quia ob causas peculiare potest interdum fieri translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam episcopalem, quamvis haec non sit major ab altera, immo ab Ecclesia archiepiscopali ad episcopalem et aliquando ob gravem causam ad subveniendum necessariae sustentationi etiam ab Ecclesia episcopali sit translatio ad parochialem, ut in cap.: *Pastoralis* 42. caus. 7. qu. 1. et cap.: *Ad supplicationes* 9. de renunciation., ubi Archiepiscopus, qui absque mortis periculo in sua Ecclesia morari non poterat, concessione Papae ita descendisse legitur. Archiepiscopo enim, qui ex justa causa cessit Archiepiscopatu, licite de Episcopatu vacante provideri potest, et sic fuisse judicatum per Clementem IV. refert *Hostiensis* in cit. cap.: *Cum ex illo* num. 6. et ibidem *Fagnan.* num. 30., quando Nelfrancus Archiepiscopus Salisburgensis cessit et Dux Poloniae ad eandem Ecclesiam promotus ex-

titit et praedicto Archiepiscopo de Episcopatu Jesionensi Ecclesiae etiam idem Salisburgensi subjectae provisum fuit. Secus autem si cessio facta fuerit in fraudem ad obtinendum Episcopatum Archiepiscopatu seu priori Episcopatu locupletiolem, quod est evitandum; arg. cap.: *Quarto* 3. de translation. Episcoporum. ibi: „Cum secundum traditiones canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, a Cathedra repelli debeat aliena et carere propria, ut nec illas possideat, quas per superbiam sprevit, nec illas, quas per avaritiam concupivit“; et concordat. cap.: *Si quis Episcopus* 31., et cap.: *Si quis de Ordin.* 32. caus. 7. quaest. 1.

#### f) Missa anniversaria.

Vd. *Transl. Ep.* (celebratio etc.)

Juxta decretum S. hujus Congregationis in Aquen. 2. Septembris 1741 ad 11 de episcopo translato celebranda est missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali ecclesiae praefecit, quaeritur ergo: *Utrum celebrari etiam debeat vel saltem possit missa vel respectiva commemoratio consecrationis ejusdem?*

*Resp.* Quocumque modo aliquis a Sancta Sede Apostolica alicui regendae praeficiatur ecclesiae, is semper lato sensu dici potest *electus* illius talis ecclesiae. Proprie autem et canonice, qui primum alicui ecclesiae praeficitur, *electus* dicitur et dies qua id evenit, dies *electionis* nuncupatur eoque titulo insignitur toto temporis intervallo, quod intercedit inter electionem factam a Summo Pontifice et inter consecrationem illius in episcopum ex mandato apostolico. Excipiendi tamen ab hac regula sunt electi ad patriarchales vel metropolitanas ecclesias, qui non ante patriarchae vel

archiepiscopi appellari (nec pontificalia munia exercere) possunt, quam pallium receperint: Caeremoniale Ep. lib. I., cap. XVI. n. VI. Cum vero ejusdem Summi Pontificis jussu destinatur alteri regendae ecclesiae, pro qua consecratus non est, appellatur *translatus* (ibid.) et dies *translationis* appellatur ea dies qua id Summi Pontificis nutu factum est. Haec dicta sint relate ad decretum Aquen., citatum in dubio, in quo cum quaesitum fuisset, in casu translationis quandonam dicenda sit missa, quae habetur in missali, *in die consecrationis, in nominationis an in translationis?* S. C. respondit die 2. Sept. 1741 ad 11: „De episcopo translato celebranda est missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die quo Papa eum tali ecclesiae praefecit; exemplum habetur in electione Summi Pontificis festumque hujusmodi erit annunciandum cum termino translationis.“

Cum autem translatio, quoad destinationem alicui Ecclesiae, idem sit ac electio et cum ex dictis in dubio II. juxta Caeremoniale Episcoporum non electionis solum, sed etiam consecrationis, episcopo jubente, in priori ecclesia celebranda est dies anniversaria, per supradictum responsum Sacrae Congregationis in Aquen. nihil est immutatum circa annuam consecrationis memoriam, quae proinde cum missa et respective cum commemoratione celebranda adhuc erit, si episcopus eas impeteret etiam in ecclesia, ad quam episcopus ipse ultimo loco translatus est. Quae sententia confirmatur etiam auctoritate Gavanti, qui cum expendisset sermones SS. Patrum habitas plerumque fuisse in die eorum natali, id est in die ordinationis seu consecrationis, concludit part. IV. tit. XVII. n. 19, „si altera tantum celebratur, consecratio

potius quam electio celebranda erit." Cum vero circa celebrationem anniversarii tam electionis quam consecrationis episcopi jam supra in aliis dubiis dictum sit, praesenti dubio satisfactum ibi arbitror si declaretur: Per anniversarium translationis nihil detrahi anniversario consecrationis episcopi.

S. C. resp.: Per anniversarium translationis nihil detrahi anniversario consecrationis episcopi.

Die 14. Aug. 1838.

(Anal. J. P. 1860 p. 1334.)

g) Poenae ambitiosae transl.

Vd.: *Transl. Ep. (causa)*.

Leo (I.) Ep. Anastasio Ep. Thessal.

Si quis episcopus mediocritate civitatis suae despecta administrationem loci celebrioris ambierit et ad majorem se plebem quacunque occasione translulerit, non solum a Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit et propria, ut nec illis praesideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprexit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram juris suis affectet augeri.

Anno 444.

(Bull. r. t. I. p. 53. n. 8. Ed. Aug. Taur. 1857.)

h) Tempus executionis.

Quum in regno Poloniae, ubi excrebrae sunt episcoporum translationes, jamdiu inoleverit abusus, ut Episcopus ad aliam Ecclesiam transferendus de industria differat se a prima Ecclesia liberare ac literas apost. suae translationis expedire, ut eo diutius utriusque episcopatus fructus assequatur, prioris nempe, cujus vinculis nondum a Sede ap. exsolutus

est, et posterioris ad quam transfertur, cujus fructus universi a die vacationis ecclesiae sibi integre reservantur, quumque inde etiam fiat, ut successor in episcopatu, unde ille translatus est, negligat et ipse suae provisionis bullas expedire, quippe quum intelligat, se diu subiturum ecclesiae onera universa absque illius fructibus, quos omnes praedecessor episcopus aut ante translationem consumsit aut ad aliam ecclesiam secum asportavit: SS. D. N. hujusmodi corruptelam, quae cedit in grave ecclesiae in Spiritualibus et Temporalibus detrimentum, magnopere cupiens de medio tolli, ex S. C. Card. C. Tr. Interpr. sententia statuit ac decrevit, ut, si qua Cathedralis ecclesia intra fines regni Poloniae deinceps vacaverit, spatium quatuor mensium dumtaxat vel infra liceat quidem episcopo successori sibi fructus vindicare pro rata temporis vacationis hujusmodi juxta antiquam illius regni consuetudinem, verum si infra praedictum terminum ecclesia de pastore non fuerit promissa, fructus pro rata illius temporis, quo sedes post quartum mensem vacabit, nullatenus successor, sed integre fabricae illius ecclesiae, quatenus indigeat, alioquin Sacristiae illius absque alia declaratione applicati censeantur et ejusdem Ecclesiae capitulum, cui SS. hac in parte necessariam facultatem impertitur, omnino curare debeat, ut applicatio hujusmodi quam primum sortiatur effectum. Quodsi et Sacristia sufficienter instructa reperitur, liceat eidem capitulo consulto tamen prius episcopo successore ac praevia illius approbatione hujusmodi fructus in alios pios usus pro loco et tempore utiliores insumere non obstantibus caeteris.

Datum Romae 23. Decembris 1624 ex L. XII. Decr. pag. 234 apud Bene-

dictum XIV. De Synodo Dioecesis XIII. 76.

Cf. *Sedes episcop.* (Quando vacat?)

5) Festi.

a) In annum sequ. debet fieri?

Vd.: *Officium (transl.) Simplificatio festor.; S. Thomas Cantuar.* (lect. I. n. etc.)

b) Non debet fieri in diem fixum.

Vd.: *Festum (repositio)*.

Officia, quae debent transferri, non transferri ad diem fixam, sed ad primam diem non impeditam juxta rubr. de transl. fest. n. 3008 ad die 28. Novb. 1682.

Vd.: *Transl. festi in aliq. oct.* (decr. n. 3301); *Concurrentia*.

c) A die propria amoti festi.

Vd.: *Transl. perpetua*, (non licet Episcopo); *Transl. festi perpetuo transl.* (decr. n. 4985.)

Cum aliquod festum jam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut caetera alia festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur, ni forte nova Calendarii constructio ex integro assumetur. n. 4166 ad 4 die 22. Aug. 1744. Ecclesia particularis, quae non potest facere de festo die assignata tamquam propria pro tota Dioecesi, potest ac debet huic festo aliam diem eligere tamquam propriam cum approbatione tamen Episcopi. n. 4166 ad 5 die 22. Aug. 1744.

Festum ss. Cornelii et Cypriani a propria die perpetuo amotum die 22. Sept. licet septima infra octavam Dedicationis celebrari deinceps non improbatur. n. 4165 die 28. Novb. 1744.

d) In diem immed. sequent.

Vd.: *Festum (dignitas; decr. 4044)*. *Transl. festi (diversi et ejusd. ritus etc.)*

De festo translato faciendum est Officium die immediate sequenti non impedito, etiamsi adest aliud *ejusd. dignitatis* festum prius translatum. n. 2903 ad 6. die 30. Sept. 1679. — Idem vero non intelligendum sit, si adsit aliud festum seu Officium *majoris ritus* prius translatum. n. 2943 ad 4 die 1. Mart. 1681.

Generalem rubr. Brev. rom. c. 10. n. 7 de transl. festor. omnino servandam et quocunque alio decreto in contrarium non obstante (servato semper ordine Calendarii) officium de primo translato prius recitandum esse, ita tamen, ut per hanc declarationem nihil penitus circa semid. in dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus gen. rubr. c. 10. n. 5. pariter omnino servandam esse. n. 3409 die 22. Dec. 1696.

Si festum s. confessoris transferatur *in proxime sequentem diem*, in Hymno: *Iste Confessor etc.* nulla sit mutatio versiculi, sed dicitur: *Meruit beatas: dummodo primae vesperae non sint impeditae*: Sac. Rit. Congreg. 13. Januarii 1683. Translato autem festo s. Confessoris ultra sequentem diem in Hymno: *Iste Confessor* facienda est mutatio versiculi, dicendo: *Meruit supremos*: Sacra Rit. Congregat. 14. Junii 1692.

e) In diem 30. Decbr.

*Ad dubium*: an die 30. Decbr., quando non incidit in dominica, etsi in ipsa locum habeat Officium dominicae infra octavam Nativ. Dom., reponi valeat aliquod festum translatum? S. C. resp.: Affirmative: n. 4849 ad 4 die 23. Febr. 1839.

Vd.: *Transl. festi dupl.* (Ordinis Min.)